



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

LXXXIV. An Ecclesiarum Consecratio iusta sit ac Sancta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

nobis esse peculiari modo dicitur, velut in templo, 1. Cor. 3. & 6. & 2. Cor. 6. Et in Templo citius exaudit. 3. Reg. 9. Erogationi, ut rei nobilissimæ, locus quoque nobilissimus debetur templorum: teste Basilio l. 2. de bapt. q. 8.

Illud verò, *Intra in cubiculum tuum & ora*: significat vanam gloriam fugiendam, & sectandam quietem animi collectioris. Neque vnus solum erit locus in monte ad orandum; sed vbicunque elegerit loca Deus. Vnde *Volo viros orare in omni loco*, publico & destinato; aut etiam priuato: Non tamen vt hypocrite illi, qui Matth. 6. *Amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare.*

IV. SANCTIS Basilicæ rectè consecrantur. Sic Concilia peruerusta; quibus Eustathius damnatus est; vt in Gangrensi. Et Carthagine V. vetat poni Basilicas, nisi vbi vel est corpus martyris, aut is habitauit, passusue fuit. Ita & S. Patres Græci ac Latini. Quid quod Salomonæum fuit erectum non solum ad Sacrificia & orationes; sed etiam ad Arcam recipiendam? 1. Paral. c. 17. & 28. Sed maior debetur honos sacris Reliquiis. &c. Plura in *Genealog. p. 1. q. 26.*

QVÆSTIO LXXXIV.

*An Ecclesiarum consecratio iusta sit
as Sancta?*

LUTHERO-CALVINISTÆ communitate reprehendunt, in primis Magdeburg. Cent. 4. c. 6. 1. Templorū festiua dedicatio est *νενομία* Iudaismi reducti. 2. Ceremonie quædam in consecratione ab superstitione magica excusari non queunt: Vt ad XII. cruces cereos accendi XII. scribi per Pedum alphabetum græcum & latinum,

in formam crucis decussatæ &c. 3. Temppla dedicata haberi cæteris locis sanctiora. Sic & CALVINVS *Inst. l. 3. c. 20. §. 30.*

AUTOR. Orthodoxi è diametro contraria solidè docemus.

I. DEDICATIO Templorum Sancta & iusta est. I. Ita S. Literæ, in meo *Antichristo p. 1. q. 27.* 2. Ita Praxis, & Traditio, testibus S. Patribus apud Bell. l. 3. de Sanctis. c. 5. Greg. Naz. orat. in nouam Domū Dom. *De Encæniis honorandis lex vetus est, eaque præclare constituta.* Innumera extant Patrum homilia encænastica. 2. Miraculis quoque Deus Encæniam illustrauit. Vt prosper *part. 3. c. 38.* de promissis Dei testatur quod vidit. Sic & S. Greg. Magnus *libr. 3. Dial. cap. 30. &c.*

II. CEREMONIÆ Dicationis sunt castæ & sanctæ omnes ac singulæ. I. Sic naturæ instinctu, *Gen. 26.* Iacob vixit lapidem, locūque nuncupauit Bethel, id est, Domum Dei. Similiter idē *Genf. 15.* Et Moyses, *Exod. 40. Num. 7.* aram & vasa omnia consecrauit ex Lege Dei. Et S. Dionysius *l. hierarch. c. 6. p. 1.* docet inungendas aras esse. 2. Sic & Concilia; & S. Patres. Ceremoniarum verò rationem strictim reddit Bellarm. vbi suprâ,

III. SANCTVM efficitur Templum consecratione. I. Quia dedicatio id esse Dei facit proprium: Vnde sicut, *Leu. vlt. Animal si quis vouerit immolari, Sanctum erit: sic & Templum.* Aug. l. 4. contra Cresc. c. 40. *Deo parietes consecratos, Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam.*

2. Quia precibus sanctificatur. &c. 1. *Tim. 4.* Imò Deus testatur 3. *Reg. 9.*

R. 3. Exau.

Exaudiui orationem tuam, & sanctificauit domum hanc, quam adificasti.

3. Quia Sancta sunt, quæ habentur in templo: 1. *Locus*, Exod 3. *in quo stas, terra sancta est.* 2. *Crux*, imagines Christi & Sanctorum: 3. *Reliquiæ sanctæ.* 4. *Eucharistiæ præsentia;* 5. *Angelorum:* 6. *DEVS ipse*, Exod. *ult.* in nebula post dedicationem Tabernaculi: Item 3. Reg. 8. *Nebula gloriæ impleuit Dominum Dei.*

4. *Dæmon effugatur:* teste S. Greg. l. 3. *Dial. 6. 7. &c.*

Q V Æ S T I O LXXXV.

Templorum ORNATVS an sit tolerabilis?

LUTHERANI perinde ac CALVINIANI pernegant; & execrantur. Vide in *Genealog. p. 1. q. 27.* quantis scilicet cum argumentis pugnent, ibidem dilatis ad instar fumi. Ut S. Scripturæ contradicant eidem, videre est in meo *Antichristo p. 1. q. 27.*

SVADENT porro istis. 1. *Iere. 7. Nolite considerare verbis mendacii dicentes: Templum Domini, templum Domini.* 2. S. Patres quidam arguunt fastuosos ornatus sumptusque templorum: & vna eoli rectius docent. 3. Ratioque suadet. Nam & Christus docuit Paupertatem. Et Luxus ille superuacaneus est: Auocatque à deuotione. Vna autem coornare templa satius est ac sanctius. Hic cultus in iudicio prædicabitur; fastus ille condemnabitur.

AUTOR. I. DICO AD I. Iudæi in externo splendore Templi præsumptuosè confidebant; vt qui propter ipsum placerent Deo. Quæ vanitas est.

AD II. S. Patres arguunt eos, quibus plus cordi est ornatus templi mate-

rialis, quam sui spiritualis. Deinde, docent vasa aurea debere alienari in necessitate: verum prius confringi, ob consecrationem. Arguunt idem profanos in templis ornatus ac fastum. Et re-
cè.

AD III. Christo dicantur templa, quæ Deo: Et sic temper diues fuit. Quid autem in humanis est tantum, quo dignum Deo quicquam præstes, si pius absitanimus? Neque superuacanea sunt, quæ Larriæ nostræ signa sunt: Quæ adhibentur vt ædificent nos, & excitent animos; non vt distrahant. His Zelotis erit *merces magna nimis*, cum Moysè, Dauide, Salomone, Eldra, similibusque Templariis viris.

II. Ex Naturæ dictamine Iacob, *Gen. 28.* lapidi titulari honorem consecrationis habuit. Ex præcepto Dei Moyses, *Exod. 25. 26 &c.* ornauit sumtuosè Tabernaculum: Ex instinctu Dei ac naturæ Dauid, Salomon, Eldras, Machabæus idem egerunt ad illustre religionis exemplum posteritati: Neque vnquam cuiquam seu coelestium, seu terrestrium, prodicitur factum istud improbatum displicuisse: Solis hæreticis non probatur Magnum hoc argumentum insignis commendationis est.

2. Scripturarum verò Spiritui Spiritus idem S. Patrum respondet cum venerando consensu, apud *Bell. l. 3. de Sanctis. c. 6.* Ibidemque testata sit ingens templa cum ornatu permagnifico constructuentium pietas, multis clara exemplis atque miraculis. Orbem templis, & templa ornamentis compleverunt præcipuè Constantinus Magnus, Iustinianus, (excepto quod demum in Monotelita-

rum